



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Gvalterivs C. 4. Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

Deus est. Vnusquisq; enim quod cupit & veneratur.  
hoc illi Deus est. S. Hieron. in ps. 108.

## S. GVALTERIVS. C. 4. Iunii.

**D**Vbitabit aliquis GVALTERIVM mundi sidus dicere; cum humerum stellâ insignitus in lucem prodierit, divino munere parentibus concessus, Numini Basilicam invicem spondentibus. Gratiarum domicilium dices, tanta erat oris venustas, tanta morum elegantia. Magnis pro eo studiis certamen est, cælo terraque tantum decus ad se rapientibus. Præfeti urbis filia oculos in eum coniecerat, optabatque sponsum, spe tantò certiore, quanto inter Romanas Nympha eminebat: & sanè, si quid mortale amandum fuerat, tulisset primas. Iam parentum vota consenserant, gratulabaturque pari, & pulcherrimo conjugio Romæ, cum GVALTERIVS generoso fastu conditionem aspernatus, negavit feminam ullam toto orbe dignam se marito: translatisque in cælum desideriiis, castarum mentium sponsum virginittis sibi voto devinxit. Id tamen consilium parentes insaniam vocarunt, & extorquere filio non verbis tantùm, sed verberibus etiam sunt conati: ut neutris flecteretur, vox allapsa cælo fugam adolescenti suavit, quam cum Armeno Sacerdote in Picenum instituit; ubi deinceps eo virtutum splendore vixit, ut palàm fecerit, æquum fuisse eum stellatum nasci. Parentes diu perquisitum denique reperere, sed jam inediâ squalidum, alioque, quem Roma suspexerat, vultu. Ille tamen Deo plenus factum iis suum non approbavit tantùm, sed ut imitarentur, induxit; quem

finea



finem utinam omnia parentum cum filiis certamina habeant, iuaret acies committere, & cantare claficum. *Ex Phil. Ferr.*

*Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamsi blandiretur, etiamsi rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tantà aduersitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamar? S. Greg. 3. Dial. c. ult.*

S. BONIFACIUS E. M. 5. Iunij.

**B**ONIFACIO, & hoc, & Apostoli nomen Germania peperit, cum Winfridus olim vocaretur, Monasticen puer amplexus est, multum aduersante patre, donec iramisso divinitus morbo, pertinacia ejus est domita. Sacris initiatus Frisones Christianam disciplinam imbuendos, Pontificum deinde jussu, Germaniam universam excolendam suscepit, adolescentulis etiam in partem pii operis adscitis. In Boicam S. Sturmionem, Treveris Gregorium sibi junxit XIV. annorum adolescentulum, cum Anagnosten in triclinio perite agentis aures dedisset: capto enim egregie indolis experimento, unius congressus suavitate ad sui eum imitationem attraxit, ut palam dictitaret, suis se pedibus cum BONIFACIO orbem terrarum peragraturum, si equi copiam avari amici negassent. BONIFACII labores, & arduum LV. annorum à Sacerdotio ad martyrium usque actorum cursum quis explicet? in tanta saepe necessarii victus inopia, ut caelo com meatum ei submitti avium ministerio fuerit necesse. Frisonibus Christo nuper additis diem dixerat, qua sacro Chrismate frontes inungeret: ii ex discipulis latrones facti, optime de se meritum cum LI. sociis peremerunt. Irruenti